

21
J. N. J.
DISPUTATIO PHYSICO-MEDICA INAUGURALIS
DE

MARGARITIS,

Quam
AUSPICE DEO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO & ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO

PHILIPPO WILHELMO,
S. R. I. COMITE DE BOINEBURG,
SACRÆ CÆSARÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO
ET CAMERARIO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESIA-
RUM, MOGUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CA-
PITULARI SENIORE,
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI
CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIIQUE
ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE, &c. &c.

EX
SENSU & AUTORITATE
AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,
IN PERANTIOVA & ILLUSTRIS ACADEMIA HIERANA
SUB PRÆSIDIO

D. LUDOVICI FRIDERICI JACOBI,

Electoris Moguntini Archiatri, Prof. Chym. æstuma-
tissimi, & Facult. Med. Assessoris gravissimi Ord. &c.

DN. PATRONI, FAVORIS & PROMOTORIS SUI

omni observantia cultu prosequendi,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES & PRIVILEGIA DOCTORALIA
rite & legitime capeffendi,

Publicæ Eruditorum Disquisitioni exponit

JOHANNES CHRISTFRIED GRÜBELIUS,

NEOSTAD. AD ORLAM,

Ad diem 3. Febr. Anno MDCVIII. H. L. Q. C.

ERFORDIÆ, Typis Limprechtianis.

7708

DISPUTATIO PHYSICO-MEDICA IN ADOURALIS

MARGARITIS

DEO,
PATRIÆ,
PATRONIS

Atque

AMICIS.

D. LUDOVICI FRIEDERICI JACOBI

Lectionis Magnifici Archistri, Prof. Chyrurg. et
Medicæ, acule. Med. Altorfensis gratiss. Ord. &c.
D. M. EXTERNA, PATRONIS & PROMOTORIS SU.

PRO LICENTIA

IN AUTE MEDICA HONORIS PRAESEM DOCTORALIA

JOHANNES CHRISTIERS GRÜBELIUS

NEOSTAD. AD ORLAM.

MDCCIII. M.D.C.

FRORDIÆ, Typis Lippschianis.



abile ar
ritur, qu
amabili
curam se
in quibus
splendore
summan
cere possit
& absque n
DEUS,
curam i
rui, sicut



Q. D. B. V.

PROOEMIUM.



Varia in hoc Mundi universo
occurrunt, quæ Naturæ sunt
artificia, & quæ contemplando
hominem in maximam dedu-
cunt admirationem: Nihil au-
tem ferè est, quod magis hoc
præstat & ad Summi Opificis
contemplationem elevat, quàm
stupendum illud ac ferè inæsti-
mabile artificium Margarita scilicet, quâ nullibi repe-
ritur, quicquam splendidius, nihil pretiosius, nihilque
amabilius. Et certè omnem artificum industriam Na-
turam superâsse videmus in efformandis margaritis,
in quibus tantam offendimus nitorem, tantum in illis
splendorem, tantam rotunditatem atque perfectionem
summam, ut nulla fermè ars analogum quid produ-
cere possit. Frustra autem tantas qualitates externas
& absque notabili effectu non creavit Conditor omni-
um DEUS, sed peculiarem etiam indidit Margaritis
efficaciam in depellendis morbis, confortandis vi-
ribus, spiritibusque recolligendis, hinc communiter

nil nisi pulveres perlati & medicamenta ex Margaritis præparata desiderantur ab ægrotantibus, & tanti ab iisdem æstimantur, ut absque his pauci se posse convalescere, firmiter sibi persvadeant. Hinc loco Speciminis Inauguralis Margaritarum historiam earumque usum Medicum, eâ, quâ fieri poterit, brevitate, explicare animum induxi. Assistat ex alto Divinum Numen meis conatibus gratiosô suô auxilio.

Thef. I.

VOx Margarita non est latina, sed originem ducit à Græcis: qui eam dicunt τὸ μάρμαρον, ἢ μάρμαρα, ἢ μαργαρίτης & ἰ μαργαρίτης, uti refert Rolfinc. Diff. Chym. 3. c. 1. Hoffmann. in Pharm. Med. Chym. Schrœd. Præterea & alia sortitur nomina, inter quæ communiora sunt Unio, Perla, annotante Hoffm. de Med. offic. Boët. à Boodt de Gem. Jonston. Tavmatograph. Class. 8. c. 17. & Rolfinc. quod posterius vocabulum in Foro medico jam satis usitatum est; Unionum nomine etiam versant margaritæ apud Lang. Epist. med. L. 2. Rolfinc. l. c. sed hoc nomen tantum majoribus competere Auctor est Garz. ab Horto hist. arom. Lib. 1. c. 57. Boët. à Boodt l. 2. c. 36. Schrœd. Pharm. Med. Chym. L. 3. c. 7. Gallis usitato nomine dicitur margarita une Perle, Italis Perla, Hispanis la Perla, Germanico idiomate eine Perl. Reliquas appellationes ad examinandum Curiosioribus relinquimus.

Thef. II.

Quid propriè sint Margaritæ, adhuc inter Eruditos disceptatur, alii eas ad lapides & gemmas referunt, Cardan. de rer. variet. L. 5. & Rolfinc. l. c. lapidibus similes judicat, aliis sunt veluti nuclei concharum ref. Jonston. l. c. aliis ovula, quæ ex se ipsis producant conchæ: Alii pro corde, medulla conchæ & alii pro partibus ossis in carne hærentibus habent, quibus opinionibus non subscribit Aldrovand. de Testac. Lib. 3. c. 47. Inter res marinas illas Plinius hist. nat. L. 37. c. 4. numerat.

Ali-

✿ 5 ✿

Aliqui margaritas pro morbo & superfluitate concharum, item pro verrucâ & excremento habent, vid. Jonston. l. c. Renod. de mat. med. L. 3 c. 23. quibus contrariatur Plin. cum Rolfinc. Jonston. & Renod. qui abortus concharum easdem judicant, quod & affirmat Solinus Polyhist. Alii lapillos esse dicunt in mari generatos, qui cum in concham inciderint, testarum lævitate & nitore splendorem acquirere: Alii margaritam concharum partum vocant, ita sentiente Plin. Lib. 9. c. 35. Jonston. l. c. Septal. in judic. de margar. Conchas leprofas & Perlas ipsam lepram pronunciat Petr. Joh. Faber. L. 4. Nos igitur dicimus margaritas esse lapides pretiosos ex succu oleoso viscido salivali conchiarum ab harum ventriculi spiritu lapidescente sensim sensimque pelliculatim concretos & genitos, in testam ipsos maturos ad ulteriorem maturationem, indurationem uberioremque polituram ibidem vomitu rejectos & asservatos in usum ornamenti, potissimum autem medicamenti destinatos.

Thes. III.

Generis loco lapides ponuntur, etsi non omnia attributa lapidis habeant, tamen usu adhuc usque nominandi recepto & quidem ob figuram & similitudinem quandam, quam & habent cum aliis lapidibus; uti lapis Bez. ocul. cancr. arilli fructuum lapides denominantur. Pretiosi dicuntur vel ratione capturæ, quatenus summo labore, sumptibus & vitæ periculo sæpe expiscantur, vel ratione efficacix medicamentosæ, quæ non tantum autoritate atque experientia satis huc usque probata existit, sed & rationibus non minimis suffulta, quia spiritum æthereum in se habent, & à saliva istius animalculi hæret, & generentur, in quâ, consensu fere omnium, spiritus æthereus concretum æthereum salutatur.

Thes. IV.

Et talis est causa materialis margaritarum: quanquam Autores in hac determinanda variant, dum nonnulli putant ostreas certis anni temporibus ad superficiem maris elevatas à rore cœlesti depluente imprægnari & hinc mensium aliquot

Thef. VI.

Causa efficiens proxima margaritarum est Spiritus infusus ventriculi istarum conchiliarum, qui humorem hunc salivalem ex specifica sua qualitate imbutus sensim sensimque pelliculatim in hoc concretum efficit & istud in varias figuras reducit: nam sicuti in omnibus rebus spiritus infusus scientia naturali pollet, ita ab illo tale maturum factum evomitur tempore certo in receptaculum sive testam, prius a tali animalculo genitam, ibidem asservando, aut si quid impuri adhuc huic adhæreat, à continuâ alluente aqua marina expolliendo, indurando & colorem argenteum politum assumendo: nam horum salinorum liquorum solenne est, corpora imprimis oleosa viscida reddere pellucida, splendidiora & puriora, uti videre est ex spermate ceti parato cum lixivioso liquore, imo ex ipso vesicæ calculo diu ibidem hærente antea ex renibus ad illam hispidè deposito, cujus superficies à liquore urinoso salino ita complanatur & expolitur ut sæpe nequicquam hujus vestigii hispidi tunc conspiciatur. Nec obstat nostræ sententiæ, quod intra testam fuere à nonnullis observatæ margaritæ adhuc molles, ut inde concludi posset in ventriculo istius bestiolæ maturas non fieri: hisce autem facilè responderi potest, quòd ova sæpe à gallinis cortice molle constantia ejiciantur, ubi tamen naturaliter & certo destinato tempore exclusa cortice duro omnia gaudent, etsi quoque & istorum immaturè exclusorum cortices indurentur cum tempore, nil tamen impedit quod non indurata generentur in ovario gallinarum; sic se res habere potest cum margaritis, vomitu rejectis, hinc margaritæ à quibusdam non infelici omine partus istorum animalculorum vocantur. Licet etiam talis indurescentia harum à principio salino tanquam causa remota deduci posset: Sal enim pro cujusvis coagulationis causa habetur ab omnibus, & appellatur Balsamum Naturæ, quod omnibus à naturæ mixtis deprehendimus immixtum, ut ea hujus beneficio à putredine atque corruptione præserventur, unde etiam Naturæ thesaurus ejusque fons uberrimus

mus

spatiò elapsò margaritis gravidas reperiri, vid. Plin. l. c. Lindschott in der Ost-Indischen Reise-Beschr. Ex rore & fulgure nasci putant Solinus l. c. & Baccius de gemmis, quibus contradicunt Massarias, Cardan. Rondelet; nam ex ipsa carne generari Perlas Massarias, statuit. Boët. l. c. ex humore nasci eò, ex quo testa conchæ existit; Tamen hanc ultimam sententiam & nostram facimus, dicentes quod materia margaritarum propria sit humor quidam oleoso viscosus, pellucidus, salivalis istius animalis in conchiliarum ventriculo singulariter à spiritu insito specificatus, certis tantum conchiliorum speciebus proprius, similis quadantenus materiz testarum, virtute tamen & essentiâ longè superior, purior & subtilior.

Thef. V.

Hunc autem humorem non provenire ex glandulis salivalibus harum bestiarum, sed à testis atque ita margaritas generari ex testa asserit Cardan. l. c. In carne quoque generationem hujus fieri testantur Massar. apud Aldrovand. Gassend. de reb. metall. & lapid. c. 2. Rondelet. & Americus Vesputius in 2. sua navigat. Quam opinionem magis confirmant illi, qui ad Orientalem Indiam navigarunt, quique contigisse sibi sæpius affirmant, dum ostrearum margaritiferaum carnes comederent, margaritis intus latentibus sæpius dentes impegisse, certissimo indicio, eas intra viscera ostrearum concipi & produci, vid. Olaf Dapper. de America. Maximè autem omnium Perlas in carne generari autopsiâ demonstrare valent cui libet curioso Piscatores Varisci. Et non negandum quod etiam in cavitate carnis generatæ inveniri possint, uti calculorum generatio non solum in renibus, vesica, sed & ventriculo, glandulis salivalibus, glandula pineali fiat, quanquam magis communiter in renibus & vesica: ita magis harum generatio frequens est & familiaris in ventriculo conchiliarum. Margaritam satis grandem & semi perfectam ab unâ parte testæ adhærentem & fere deciduam vidi in Museo curioso Magnif. atque Generos. Dn. D. G. C. Petri ab Hartensels / Prof. atque Sen. Facult. Med. Promotoris mei ad cineres venerandi.

Thef. VI.

mus rectissime sal dicitur : item Naturæ admirabilis clavis, quippe sine quô Natura ipsa minime est Natura, quoniam nullo aliô pacto operari & interiora aperire potest. Adeo enim sal est causa efficiens remota omnium energiarum, quæ in universo telluris globo reperiuntur : Hic itaque insensibiliter materiæ Perlarum jam inexistit, nec suum facile deserit subjectum, ipse consistentiæ illius ac duritiei opus sua promovet activitate: Quod verò ad hunc naturalem seu essentialem salem illa uhdarum marinarum falsedo simul concurrât ad effectum talem producendum, extra dubium est.

Thef. VII.

Locus natalis generalis, ubi margaritæ iveniuntur, non solum immensus est Oceanus, sed & alii fluvii, siquidem varia hinc & inde in Europa offendimus loca, quæ de hâc sibi gratulantur gazâ. Sic Germaniam conchas alere & cochleas tam in salis quàm dulcibus aquis, testis est D. Günth. Christ. Schellham. Misc. Cur. An. 6. Dec. II. Obs. III. 112. quas & inveniri dicit apud Arcem Seeburgum, duobus milliariibus ab urbe Hala sitam. In Lusatia circa oppidum Marglissa in fluvio Guissa; In Silesia reperibiles dicit Casp. Schwenckfeld. in Theriotroph. Siles. & de therm. Hirschberg. Inveniuntur etiam in Bohemia in fluvio alluente pagam Hussinez. In Saxonia propè Cygneam, ubi & celebris est Elstria Variscorum fluvius propè Voigtbergam, Olsnitium & Pagum Rascha dimidiæ lapide à Plavia, in quô conchæ aluntur margaritifera, ex quibus margaritas quotannis collectas sub fide juratâ in Aulam Dresdensem mittere ex mandato tenetur Praefectus. De Vinariensibus in stagno (Rüchenteich) dicto D. Volckamer. scribit in Misc. Cur. An. 2. Dec. 1. Obs. 228. Conchas tales alit Gallia in fluvio apud Vogesum montem Lotharingiæ, de quo Boët. l. c. Hispania in Tago apud Toletum & in Insula Carthagena teste Aldrovand. In Mari Britannico & Scotico teste Boët. In Gothia, Finlandia, Frislandia, juxta Olausm Magn. Schræd. Bacc. In Norwegia secundum Olausm Worm. Africa margaritis destituta non legitur: Sic Mare rubrum harum ferax

ferax esse asserit Plin. Lib. 12. Petr. du Val Geograph. univers. Asia omnium optimus suppeditat, & quidem ejus Portus Julfar dictus in Mari Persico, in Insula Ormus, item in Mari Indico, in Insula Zeilan, vid. Cluver. in Introduct. ad univers. Geograph. Hoffm. Schrœd. Bacc. Lindschott. & alios Authores; Americam præ cæteris hoc thesauro à DEO donata est, & quidem in hac Insula illa celebris à margaritarum ibi provenientium copiâ Margarita appellata, vid. Dapper. l. c. & ex eo du Val l. c. Atque ita pro locorum diversitate dividuntur in Orientales & Occidentales: Hæ illis postponuntur, & longè viliores habentur, imò multi dubitant, an pro veris aut falsis censendæ: argumenta, quibus dubitandi rationem affirmare conantur, sumunt à figura, quasi Occidentales non sint adeò rotundæ ut Orientales: sed si hoc valeret, multæ etiam Orientalium, quæ oblongæ sunt & pyri formes &c. è numero margaritarum eximendæ essent: ulterius probare audent ex fragilitate, verùm si observetur, quòd humor sive materia Perlarum in Occidente non adeò purus viscidus, benè concoctus & commixtus, calor etiam naturalis non adeò vegetus sit: quid ergò mirum si ex imperfectiore materia, ex coctione debiliore mixtio fiat imperfectior & subinde margaritæ productæ fragiliores reddantur? Præterea hæc non semper valent, cum aliquando ex Septentrione margaritæ apportatæ sint præstantiâ non cedentes Orientalibus, imò conspiciuntur interdum Orientales, omnibus requisitis non respondententes.

Thef. VIII.

Piscatura coneharum margaritiferarum instituitur secundum Aldrovand. & Lindschott certis temporibus, nempe initiò Aprilis usque ad finem Maji, & incipiente Septembri ad terminum Octobris: Quâ ratione autem & quomodo margaritæ rite capiantur, certant inter se Autores, potissimum ratione locorum, in quibus varii sunt piscationis modi, qui diversimodè describuntur ab Autoribus, ad quos B. Lectorem remittimus, cum prolixum nimis foret, omnes ac singulos hîc annotare modos. Videantur Bertius Geograph, L. 4. Mün-

ster. Cosmograph. L. 5. Mandelslo in der Morgenländis. Reisebeschr. L. 1. c. 8. Servalius Clavius in Misc. Cur. Dec. II. An. 3. Obs. 46. Joh. Baptist. Tavernier in seiner 40. Jährigen Reisebeschr. L. 1. Notetur hîc saltem, quòd quò magis pluviosa est tempestas anni, eò uberior etiam captura. Et quòd hæc non sine magno vitæ periculo ab Urinatoribus instituat, tam sub aquis, ubi metus suffocationis, quàm in superficie aquarum, ubi insidiæ timendæ à canibus marinis, aut conchis ipsis, si in aliquam majorem fortè hiantem quis indiderit manum, quam statim acie suâ abscindit concha, unde plures eò cruciatu confestim mortui fuerunt, referentibus Plinio & Aldrovand. l. c. Modus autem, quem nostrates in captura concharum observant tutior est illò marinò; Hi enim contò hamatò extrahunt easdem singulis annis æstiv s diebus, cum sudum est cælum, aquæ autem calidæ, per piscatorem, qui novit prægnantes maturas aut immaturas, quique postquam eas à latere postico aperuit maturas Perlas invenit, suis locis ut mollior reponantur conchæ, necesse habet, immaturas quæ ferunt, idem beneficium habent, rursusque aquis sensim & lenta manu immittuntur, & sic per aquæ profunditatem hamatò suâ sede vel non longè ab illâ reponuntur. Conchæ acquisite ulterius tractandæ sunt, nam infodiuntur in terram, ut ibi putrescant, quod fit non sine ingenti fœtore: tum effossæ & aquis injectæ lavantur & siccantur inque pelvim foraminibus diversæ magnitudinis pertusam coniectæ parvæ à majoribus separantur.

Thef. IX.

Capiuntur sæpè maturæ & immaturæ: illæ judicantur, quando in ostrea ipsa albæ, splendidæ ac translucidæ sunt; Immaturæ obscuriores sunt & molles, ut digitis ferè comminui possint, & ut vi separentur, necesse habent. Hæ autem immaturæ ad maturationem redigi possunt, teste Joh. Jac. Dobzensky à Negroponte in Misc. Cur. Dec. 1. An. 2. & ex illis Bonnet. Med. Septentr. Joh. Prævotius in Secret. Remed. Duc. Mantuæ experimentum affert, quò flavæ ad albedinem rediguntur.

Com-

Communis mos est oryza grosô modô contusa & sale flavas
 fricare, aut secundum jam dictum Prævot. pulvere ossium vitu-
 li ustorum subtilissimè instrato.

Thef. X.

Ratione magnitudinis, aliæ majores, aliæ minores exi-
 stunt: illarum unam saltim in concha esse dicitur, hinc Unio.
 Certè insignis magnitudinis fuerunt Cleopatræ Ægypti Regi-
 næ margaritæ, ut Plin. & Rolf. non vereantur affirmare, du-
 os fuisse maximos uniones per omne ævum. Sic in Corona
 Imperatoris Rudolphi una fuit margarita pyri moscatellini
 magnitudine & omni decore absolutissima. In thesauro Lau-
 retano in Italia inter alia cernere licet unam margaritam,
 quæ exactè repræsentat sœminam ulnis tenentem infantem,
 de quâ vid. Monconags Itin. Ital. Tom. 2. alia ut taceamus;
 de quibus plura annotarunt Jonston. l. c. Petr. Martyr Rer. O-
 cean. Dec. I. Septal. de margar. Scalig. exercit. 226. Vielheuet
 descript. specier. peregrin. Majores maximô fuerunt in pre-
 tiô, de quo Erasmi. Francisc. Ost. West. Indis. und Sinesis. Lust-
 garten. Dapper. l. c. & adhuc hisce temporibus magni æsti-
 mantur. Unionum atque margaritarum inusitatæ magnitu-
 dinis & splendoris magnam continet thesaurum Gazophyla-
 cium Dresdense & ædificium stabulo Regio superinstructum,
 vulgò diè Rüstammer.

Thef. XI.

Variant non minus etiam figurâ, aliæ enim sunt rotun-
 dæ, oblongæ vel grandinis similes, vel ab unâ parte planæ, al-
 terâ concavæ, vel uberibus inæquales vel pyri forma vel ovali.
 Hemisphæricæ aliæ sunt, quæ uno latere rotunditatem & fa-
 ciem, altero planitiem habent, à Plin. l. c. Tympana dictæ, de
 quarum varietate vid. Tavern. Dapper. & Petr. du Vall. l. c. Ad
 figuram pertinent etiam perforatæ, quas plures magni æsti-
 mant præ imperforatis, ideò quia forari sine fractione potue-
 runt, hinc perfectius coctæ maturæ judicantur. Ast sunt & in-
 dicia alia, quibus margaritæ præferuntur aliis, inter quæ est

1.) Candor & 2.) Color aluminis instar ex Sententiâ Plinii, Dantur autem & alius coloris Perlæ, aurei nempe, argentei, suffusci & liventis, ruffi & marmorei, aliæ turbidæ ad cœruleum vergentes colorem, item ad viridem. In Insula Zipanga rubros inveniri in magnâ copiâ, quæ tanti valent quàm albæ, imò etiam plures, refert Paul. Venet.

Thef. XII.

Adulterantur quoque margaritæ, quod nemini ignotum, & id affirmat Philostratus Lib. de Vita apol. dicens, ex sanie in perforatione affluente & in vase excepto, quod in varias multiplicesque formas excavatum est, postea lapidescente naturalibus fieri non absimiles margaritas, cui contrariatur Libav. Syntagm. art. Chym. Lib. 6. c. 14. Ex concharum testis & oculis cancrorum adulterinæ quòd fierent Perlæ veris pulchriores asserit Cardan. L. 7. Mizaldus memorabil. Cent. I. modum effingendi margaritas ex oculis piscium docet, hos nempe mundando, siccando, pulverisando, agitato ovi albumine excipiendo, postea siccatos coquendo in lacte vaccino, secreto loco iterum siccando, donec perfectam induerint durtiem. Adulterantur etiam ex Vitro, quale quid annotavit Massar. Boët. l. c. lib. 2. c. 41. qui benè scivit modum augendi margaritas, eundem tamen tanquam arcanum sibi reservavit.

Thef. XIII.

Quænam autem sit proba, quâ à veris falsæ distinguantur, non est inventu facile Autoribus: Cardan. & Plin. hic tamen asserunt esse adhuc vera indicia, quæ à naturâ comitentur margaritas, ut nulla arte adipisci queant, quanquam plurimi in hoc ultimos posuerint conatus, cui etiam adstipulatur Rondelet. Lib. 1. Hinc inter notas cognoscendi veras recensent Nitorem purum, non pingvem sed ficcum & vivacem, imò nitorem verarum in unum quasi collectum reflectere, dicunt. Alterum indicium dant pustulæ factitiarum in fundo, & scabrities in cute, item quòd hæ simplicem tantum habeant substantiam & solidam nec corticibus sive potius laminis con-

constent, è quibus ejusdem coloris, lævoris & luciditatis compactas videmus veras. Experimenta, quibus naturales à falsis separantur, sunt inter alia Decussio, quâ peractâ, si in minutissimas & facillè frangibiles discedant particulas, falsæ sunt, veræ enim nunquam comminuuntur. Alterum præbet Terebra, quam etiam non admittunt arte factæ, eandem ob rationem quòd frangantur prorsus in minimas particulas. Tertium sumitur ab igne, naturales namque in ignem projectæ crepitant, quia adhuc aliquid materiæ humidæ intra margaritas relictum est, quod vi caloris in flammam vertitur & violento exiliens impetu, margaritam rumpit. Quartum est Elixatio, in aqua aut alio liquore, in quo factitiæ statim emolliuntur & flaccescunt ob resolutionem glutinis admixti, naturales autem nullis vulgaribus fermè cedunt liquoribus nisi aceto vel succo limonum. Accedit ultimò Sapor, qui in veris post masticationem semper idem manet, in adulterinis verò ut plurimum variabilis atque diversus.

Thef. XIV.

Dictum superius fuit margaritas in duplicem usum humano generi venire : Primò, ut sint ornamentum huic non minimum, ob quod penes sexum sequiorem in magno pretio habentur; quanquam sæpè pretium harum variet pro variâ piscaturâ, locupletiore aut minus tali, & prout sunt harum amatores: nam in his sæpè & hoc valet: Steingen sind Weingen / i.e. penes nonnullos vilipenduntur, imprimis, uti supra dictum, hæ non semper sunt sine omni fraude & parari possunt adeò artificiosè, ut vix videantur distinctæ à veris naturalibus. Sic Artifices nonnulli sciunt & naturales mole & figurâ parvas adaugendo longè majores reddere, quod artificium adhuc apud nonnullos silentii peplo involutum est.

Thef. XV.

Alter usus margaritarum magis æstimandus, destinatus miseris languentibus ad thesaurum optimum nempe sanitatem conservandam & restituendam; Hunc in finem margaritæ

ta vel crudæ vel benè præparata, aut alia ex his elicita à Medicis vocantur in usum, modò non sint talia suis |dotibus appropriatis vel ignis vi, vel peregrinis menstruis additis defraulata, uti ejusmodi farinæ sunt communiter ista dicta margaritarum magisteria, Essentiæ, sal, aut alia arcana inde parata, quæ non spondere possunt suam vim appropriatam, & sunt producta menstruorum, quibus debentur, & nonnunquam ne micam margaritarum in se continent, uti de Autorum mirè jactatis Essentiis & Sale constat; color aureus enim & rubicundus à menstruis ipsis solis emendicatus est; sic sal acidorum menstruorum est degener filius, nec ignis vi extortus ex ipsis margaritis est genuinus & parum distans ab aliis spiritibus urinosi animalium, ut inde melius sit, si crudæ vel pulverisatæ & in subtilissimum alcohol mutatæ in usum præ illis vocentur. Quanquam margaritarum appropriata virtus optimè conservari possit, si continuâ & longâ trituratione tractentur. Hujus nempe ope hæc in primordiale possunt reduci liquorem magnarum virtutum in multis morbis exingvendis, ex quò postmodum tria ista dicta principia chymica facili labore, nempe harum spiritus, sulphur seu oleum & sal diaphanum ut genuina elici possunt & separari, quæ dein conjuncta justâ in portione constituunt lapidem animalem auro potabili in medicina si non parem, tamen haud longè virtutibus inferiorem; Ast hæc requirunt expertum Chymicum, imprimis talia corpora, quæ abeunt in primordiale liquorem, manu & molâ philosophicâ prius sunt tractanda: nam hujus ope etiam ipsis margaritis longè duriora & compactiora corpora in liquamen deduci possunt, uti de \odot in liquorem continuâ triturâ tali redactò legi potest Epist. Langelott. ad Curiosos. Sic mihi retulit Excell. Dominus Præses, Patronus meus omni observantiæ cultu venerandus, solâ molâ philosophicâ butyrum ʒii absque ʒi to addito sc. ex ʒii minera & ʒ vivo se vidisse parari, ipsumque ʒ viv. in liquorem limpidissimum converti, sic multa alia producta chymica, quæ molâ tali sunt facta, demonstranda cuivis semper promittit, quæ aliàs absque igne incredibilia habentur.

Suffi-

Sufficit, quod omnia hęc modò ex margaritis haud preparata nullius sint virtutis analeptico-appropriatę sed saltim cadaverosę calces omni virtute privatę, & cum naturę molestia in corpus nostrum, exhibitę, jacent.

Thef. XVI.

Quęstio non levis inter Autores exoritur, quę qualitate margaritę agant & quas possideant facultates, an totę substantiã seu occulta qualitate an manifestis agant; à Gręcis nulla facta est mentio: Arabes autem inter se controvertunt, dum Rhafes frigidas & siccas esse tradit gradu secundo: Avicenna de Medic. cord. Tit. 2. similes esse Karabe in naturã & luminositate, verum fortiores esse quam Karabe. Isaac Eben dicit in qualitaribus primis esse temperatas, deficcare tamen corporis humiditatem, quam retinuit sententiam etiam Rolfinc. l.c. Frid. Hoffm. Clav. in Schröd. margaritas scribit esse temperatas in qualitatibus activis, in passivis verò magis siccas, quàm humiditas. Unde universam corporis Oeconomiam, cerebri imprimis & cordis collapsas restaurant vires, Balsamum vitę oppressum recreant, non enim vulgare Archei furiosi sedativum in illis latet absconditum, hinc propter vim cardiacam agonizantium extrema expectatur recreatio, quia nihil est, quod humidum radicale magis conservat, quam medicamenta ex perlis artificiose & legitime preparata, inquit Rolfincius locò citatò.

Thef. XVII.

Nonnulli appropriatam margaritarum & specificam virtutem consistere in eo, sibi persuadent, quod Salis alcali particulę, quales margaritę sunt, in medicatione Salis acidi intra corpora particulis occurrant, & mox intimè cohæreant, earumque efferationes & quascunque aliãs combinationes iniquas destruant. Quod autem acidum in plerisque peccet morbis Autores testantur varii: sufficiat allegare Excell. Wed. Etmüll in Oper. Sim. Paul. in digress. ad Febr. malign. Pro quò acidò infringendò & expellendò commendatur Classis Pręcipitantium, in quã stant Os de Cord. Cerv. Lap. Bez. Corall,

rall. terr. Lemn. lapides pulveres ac testacea, quò & referenda sunt margaritæ: omnia operantur, quatenus Θ is \dagger di particulas rigidas & acutas obtundunt & infringunt. Et hòc modò mutata nempe Θ ium configuratione, perit omnis corrosivorum acrimonia, quale quid exemplò illustrat affusio \dagger ti aut aliorum \dagger dorum corrosivorum hisce concretis, quæ statim amittunt acrimoniam, & dulcia fiunt: Ast hi ipsi Auctores nesciunt adhuc causam \dagger dum dulcificandi, absorbendi & præcipitandi veram: hinc non mirum, quòd margaritis substituant viliora citius solubilia pro usu medicò, non considerantes margaritarum splendorem argenteum & pellucidum, ut signum rei signata, nempe intus latentis spiritus, indeque energiæ longè majoris ipsis alcalicis esse quibus aliàs dulcificandi vis adscribitur solis, ubi tamen ab aliis, quibus alcalica vis adscribi non potest, acida corrosiva, dulcificari compertum sit, nam nudo igni omnia corrosiva exposita dulcia fiunt: sic Solis radiis fructus immaturi, acidi & austeri, dulces fiunt: \forall optimè rectificatus cum \dagger dis ritè digestus quam non dulcedinem acidis \dagger ibus etiam corrosivissimis affricat, uti & de butyro \dagger ii cum \forall maximè dulcificatò per experientiam nostram habemus, inde margaritarum efficacia non ex alcalitate, sed aliò fonte erit haurienda.

Thef. XIIIX.

Margaritarum igitur propria vis erit occulta sive spiritualis nostrum sensum fugiens, non autem intellectum, & ex lumine harum insitò eruenda, cujus præsentia signum præbent 1.) Color argenteus elegantissimus pellucidus, à quo facillè spiritus noster illustratur & exhilaratur, non aliter ac à sudò cælò torus homo hilaris & ad agendum alacrior reddiditur, quàm ipsò nebulosò & pluviosò. 2.) Harum principia constitutiva & humor salivalis istius bestiolæ constituens has ipsas materialiter: in quò semper spiritus æthereus luminosæ indolis existit, hinc ex quavis Θ ivâ oleum destillando prodit rubicundissimum, in quò etiam est spiritus talis. 3.) Odor fragrantissimus inter tritandum ex margaritis exspirans maximè

maximè refocillatorius, qui nonnisi ex particulis Aeis inexistantibus, quæ vehicula & receptacula spiritus luminosi sunt, deduci potest: Etsi modus operandi hujus spiritus accuratè describi haud possit, nisi quis velit Thomsonio in Tr. de acu magnet. & aliis assensum in his præbere & dicere per irradiationem spiritualem & magneticam virtutem seu occultam qualitatem margaritas agere, sicq; singulari gaudere virtute corroborandi. Inter quos hæc de materiâ acutè scribit Helmont. dicens, remedia & præcipuè metallica radium suarum virtutum & virium in stomacho deponere, inde demum per totum corpus dispergere, imò citra sui dissolutionem solâ illuminatione aut irradiatione postea in partibus, quos transeant, sanationes perficere. Cui sententiæ Helmontianæ Neotericorum plurimi suum addunt calculum, hocque ex Ebenfina lib. de Med. cord. probare dicuntur, ubi medicinæ lætificantes lætificant, vel quia nutriendo restaurant spiritus sicut Vinum, aut præbent eis splendorem, & lumen sicut margaritæ & fericum: Ad quod reddendum manifestius sufficiens sanè illius est Cinnabaris, utpote quæ vix in stomacho pusionum observatione resolvitur, sed incomprehensibili nec tum determinatò contractu subito cum consimilibus aliis suum, quod debet, agit, hujus enim substantiam indigestam ac colore rubro in excrementorum alvi excretionem apparere, successu interea optatò obtingente, de quo vid. Ludovici Pharm. Frid. Hoffm. Meth. Med. Tilling. in Scrutin. Cinnab. Pro affirmatione adducunt etiam Aurum, quòd hoc vel sub forma Tincturæ non aliò modo operationes suas exercet, quàm jam memoratò vid. Hoffm. Clav. in Schrœd. Et ex eadem doctrinâ tribuitur margaritis vis bezoardica & alexipharmaca, ex eâ quidem ratione, quia secundum Gabelchov. in not. ad Bacc. perlarum aqua sive movere solet sudorem, de quâ minus dubitandum putant, quia ex testis concharum oblongarum tum marinarum, tum nostratium præparatur specificum antifebrile Crollii, & ex matre perlarum antifebrile Strobelbergeri, quæ duo tantas habent vires, ut Massam sangvineam ebullientem præcipitare possint, cur non è margaritis tanquam substantia nobiliori

idem effectus exoptatus expectari debeat. Consentit Excell. Dn. D. Wed. Diff. de Venen. & Bez. & Margaritas lapidemque Bez. utrumque annumerat bezoardicis, quatenus suum ut præcipitantia officium exserunt aut \dagger dum præsens imbibendo, aut humorum orgasmum invertendo, propterea & inter sudorifera numerat margaritas in Amœnit. Mat. Med. quæ omnia locum habent ubi sanguis in motu.

Thef. XIX.

Adstrictionis ratione margaritas inter confortantia, quæ tonica appellantur, referendas esse, quis ibit inficias? Quod enim in aliorum viscerum specificis urgetur, quò debeant esse roborantia, quæ villos & fibras nerveas tueantur & calorem conservent, id quoque in Cordialibus quàm maximè valet. Hinc videmus bezoardica volatilia cordialia dicta in februm curatione sæpè cedere fixioribus refrigerantibus cum virtute adstrictoria, qualia sunt Margaritæ, Corallia, Unicornu aliaque. Interdum etiam rarefactio sanguinis & spirituum contingit, quæ refrænanda atque deprimenda, hinc conveniunt in febris omnibus, anxietatibus, pulsu frequenti, virium debilitate, lipothymiis aliisque, dum refrænant Sulphur nimis exaltatum atque rarefactionem præternaturalem & exsuperantes partes salino volatiles sulphureas deprimunt.

Thef. XX.





Explicatis itaque viribus secundum proprietates, facile dijudicandum erit in quibusnam morbis profint margaritæ, conveniunt nempe in affectibus omnibus, ubi motus humorum impetuosior peccat, hinc in inflammationibus & defluxionibus quibusvis. Summoperè autem laudantur in Hæctica, quod & expertus est B. Parens meus in nonnullis hæcticâ laborantibus, hinc & ingrediuntur varia remediorum genera. Et hæc sunt, quæ in præsentiarum communicare Lectori placuit ob angustiam temporis: Alia in aliud tempus reservabo; DEO igitur Ter Optimo Maximo pro concessio in studiis Academicis hoc Specimine Inaugurali auxiliò humillimas persolvo grates.

F I N I S.

eferen-
 is ad
 Et hoc
 cor-
 Tullio
 qua
 Au-
 ndi
 lib-
 de-
 a,
 neque
 concan-
 alia vis
 perennam
 buntur
 nunt: v
 on dolo
 , uti s
 ientiam
 & alcali-
 five spirit
 um, & a
 gnun. pra
 à quo fo
 aliter ac
 ior redit
 principu
 tuens ha
 luminofe
 ando pro
 3) Odr
 expirant
 manit

TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

- A 1  R
- 2  G
- 3  B
- 4  G
- 5  B
- 6  M
- 7  W
- 8  K
- 9  G
- 10  K
- 11  Y
- 12  C
- 13  M
- 14
- 15
- 16
- 17
- 18
- 19



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

- Blue
- Cyan
- Green
- Yellow
- Red
- Magenta
- White
- 3/Color
- Black

